



Officium Defunctorum

Index

Ad Vesperas.....	3
Ad Matutinam.....	8
Ad Laudes.....	16



Officium Defunctorum

*Dicitur in Choro in die dispositionis et aliis diebus pro temporis opportunitate et ecclesiarum consuetudine. In die vero dispositionis, in die post acceptum mortis nuntium, et tertio, septimo, trigesimo et anniversario, etiam late sumpto, et quoties solemniter celebratur Officium duplicantur Antiphonæ; et in fine omnium Psalmorum semper dicitur: Réquiem ætérnam * dona eis, Dómine. Et lux perpétua * luceat eis: etiam si pro uno tantum fiat Officium. (Psalmi incipiuntur ut infra notatur, etiam quando non duplicantur Antiphonæ).*

Ad Vesperas

Quoties Vesperæ vel delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium Subvenite, vel Officium diei currentis immediate non sequantur, dicitur secreto Pater noster et Ave, Maria; secus absolute incipitur a sequenti
Ant: Placébo Dómino in regione vivórum.

Psalmus 114

DILEXI quóniam exáudiet Dóminus *
 vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi: * et in
 diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * et
 perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem inveni: * et nomen
 Dómini invocávi.

O Dómine, libera ánimam meam: miséricors
 Dóminus, et justus, * et Deus noster miserítur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus
 sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam: *
 quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte: óculos
 meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino in regione vivórum.

In fine omnium Psalmorum dicitur:

Réquiem ætérnam * dona eis, Dómine.
 Et lux perpétua * luceat eis.

Ant. Placébo Dómino in regione vivórum.

Ant. Hei mihi, Dómine, * quia incolátus meus
 prolongátus est.

Psalmus 19

AD Dóminum cum tribulárer clamávi: *
 et exaudivit me.

Dómine, libera ánimam meam a lábiis iníquis,
 * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad
 linguam dolósam?

Officium Defunctorum: Ad Vesperas

Saggítæ poténtis acútæ * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar:* multum incola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem ætérnam.

Ant. Hei mihi, Dómine, * quia incolátus meus prolongátus est.

Ant. Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Psalmus 120

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxiliúm mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum:* neque dormítet custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxítum tuum: * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Réquiem ætérnam.

Ant. Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Psalmus 129

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: *et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: *speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despicias.

Psalmus 138

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi:* adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confíteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómine: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília respicit:* et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: et super iram inimicórum

Officium Defunctorum: Ad Vesperas

meórum extendísti manum tuam, * et salvum me fecit dēxtera tua.

Dóminus retribuet pro me: Dómine, misericórdia tua in sǎculum: * ópera manuum tuárum ne despicias.

Réquiem ætérnam.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despicias.

☩. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi.

☩. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur

Ad Magnif. Ant. Omne * quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Canticum B.M.V. Luc. Cap. j. v. xlvj.

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum.

Et exsultávit spíritus meus: * in Deo, salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus, a progénie in progénies: * tíméntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede: * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum: * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros: * Abraham, et sémini ejus in sǎcula.

Réquiem ætérnam.

Ant. Omne * quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus, similiter et ad Laudes.

Pater noster *secreto usque ad* ☩. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

☩. Sed líbera nos a malo.

Sequens Psalmus Lauda ánima mea *non dicitur in die obitus seu dispositionis defuncti, neque aliis diebus quibus Officium recitatur ritu duplici.*

Psalmus 145

LAUDA, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolíte confidere in princípibus: * in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, revertétur in terram suum: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus spes ejus in Dómino Deo ipsíus: * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sǎculum, facit judícium injúriam patiéntibus: * dat escam esuréntibus.

Dóminus solvit compeditos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllam et víduam suscípiet: * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sǎcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Réquiem ætérnam .

Deinde:

☩ A porta inféri.

☩ Erue, Dómine, ánimam ejus (ánimas eórum).

Officium Defunctorum: Ad Vesperas

℣. Réquiescat (-ant) in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratióem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣ Dóminus vobíscum.

℟ Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Dicitur Oratio conveniens ex iis, quæ sequuntur; deinde ℣. Réquiem ætérnam cum reliquis, ut infra, pag. 11

In die dispositionis defuncti Oratio

ABSOLVE, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui **N.** (fámulæ tuæ **N.**), ut defúctus (-a) sáculo tibi vivat: et quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit * tu vénia misericordíssime pietátis abstérge. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitáte Spiritus Sancti Deus, * per ómnia sácula sæculórum. ℟. Amen.

Vel alia Oratio

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, te súpplíces exorámus pro ánima fámuli tui **N.** (fámulæ tuæ **N.**), quam hódie de hoc sáculo migráre iussísti: ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a Sanctis Angelis súscipi, et ad pátriam paradísi perdúci: * ut, quia in te sperávit et crédidit, non pœnas inférni sustíneat, sed gáudia ætérna possídeat. Per Dóminum nostrum.

In die tertio, septimo et trigesimo depositionis defuncti.

Oratio.

QUÆSUMUS, Dómine, ut ánima fámuli tui **N.** (fámulæ tuæ **N.**), cujus depositiÓnis diem tértium (vel séptimum, vel trigésimum) commemorámus, Sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium; * et rorem misericórdiæ tuæ perénnem infúndas. Per Dóminum.

In Anniversario

Oratio

DEUS, indulgentiárum Dómine: da ánimæ fámuli tui **N.** (fámulæ tuæ **N.** vel animábus famulórum famularúmque tuárum), cujus (quorum) anniversárium depositiÓnis diem commemorámus, * refrigerii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Pro defuncto Summo Pontifice Oratio

DEUS, qui inter summos sacerdótes fámulum tuum **N.** ineffábili tua depositiÓne connumerári voluísti: præsta, quæsumus; ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, * sanctórum tuórum pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúmdem Dóminum.

Pro defuncto Episcopo Oratio

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum **N.** (fámulos tuos **N.** et **N.**) pontificáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus; * ut eórum quoque perpetuo aggregé (n) tur consórtio. Per Dóminum.

Pro Episcopo Cardinali, qui episcopali dignitate auctus fuerit: fámulum tuum **N.** Episcopum Cardinálem pontificáli fecísti dignitáte.

Pro Presbytero Cardinali, qui episcopali dignitate auctus fuerit: fámulum tuum **N.** Presbýterum Cardinálem pontificáli fecísti dignitáte.

Pro Presbytero Cardinali, qui episcopali dignitate auctus non fuerit: fámulum tuum **N.** Presbýterum Cardinálem sacerdotáli fecísti dignitáte.

Pro Diacono Cardinali, qui fuerit Sacerdos: fámulum tuum **N.** Diáconem Cardinálem sacerdotáli fecísti dignitáte.

Pro Diacono autem Cardinali, qui in ordine Presbyteratus non fuerit constitutus, dicatur

Officium Defunctorum: Ad Vesperas

Oratio Inclína, Dómine, *quæ habetur paulo infra, hoc modo:* ut ánimam fámuli tui N. Diáconi Cardínalis, quam de hoc sáeculo, etc.

Pro defuncto Sacerdote

Oratio

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. (fámulos tuos N. et N.) sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus; * ut eórum quoque perpétuo aggregé (n) tur consórtio. Per Dóminum.

Item alia Oratio

PRÆSTA, quæsumus, Dómine: ut ánima fámuli tui N. Sacerdótis, quem, in hoc sáeculo commorántem sacris munéribus decorásti, * in cælésti sede gloriósa semper exsúltet. Per Dóminum.

Pro uno Defuncto

Oratio

INCLÍNA, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur: ut ánimam fámuli tui N., quem de hoc sáeculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, * et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

Per una Defuncta

Oratio

QUÆSUMUS, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N.: et a contágiis mortalitátis exútam, * in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus

Oratio

DEUS, veniæ largítor et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sáeculo transiérunt, * beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis

consórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Pro patre et matre

Oratio

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti: miserére cleménte animábus patris et matris meæ, eorúmque peccáta dimítte; * meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Si Officium fit pro pluribus patribus et matribus, dicatur animábus paréntum nostrórum, *et ubi dicatur* meque, *dicatur* nosque.

Si pro patre tantum, dicatur ánimæ patris mei, *vel* nostri.

Si pro matre tantum, dicatur ánimæ matris meæ, *vel* nostræ.

In Officio pro defunctis in genere

Oratio

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes fámulos tuos pontificáli seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus; * ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEUS veniæ largítor et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sáeculo transiérunt, * beáta María, * semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

FIDELIUM, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famuláúmque tuárum remissionem cunctórum tribue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, * piis supplicatióibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sáecula sæculórum. **R** Amen.

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

Post Orationem dicitur (semper plurali numero):

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Ad Matutinam

Quoties Matutinum vel delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium Subveníte, vel Matutinum et Laudes diei currentis immediate non sequatur, dicitur secreto Pater noster, Ave, Maria et Credo; secus absolute incipitur ab Invitatorio, vel ab Antiphona Nocturni.

Sequens Invitatorium dicitur semper in Officio Defunctorum, quando persolvitur cum tribus Nocturnis, etiam sub ritu semiduplici, aut cum unico quidem Nocturno, sed sub ritu duplici. In reliquis vero casibus omittitur.

Nocturni enim inferius positi, præterquam in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, omnes dici possunt vel etiam unus tantum, ita tamen, ut extra diem depositionis, in qua semper dicitur primus Nocturnus, Dominica Feria II et V dicatur primus, Feria III et VI secundus, et Feria IV et Sabbato tertius Nocturnus.

Invitat. Regem, cui ómnia vivunt veníte adorémus.

Psalmus 94

VENITE, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus faciém ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Regem cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllit Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Venite adoremus.

Quóniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundavérunt manus ejus.

Veníte, adorémus, et procidámus ante Deum; plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster. Nos autem pópulus ejus, et oves páscauæ ejus.

Regem, cui ómnia vivunt veníte adorémus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto. Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.

Veníte adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic; et dixi: semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus jurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Regem, cui ómnia vivunt veníte adorémus.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

Veníte adorémus.

Regem, cui ómnia vivunt veníte adorémus.

In I Nocturno

Pro Dominica, Feria II et V

Ant. Dírige, Dómine, Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Psalmus 5

VERBA mea áuribus percípe, Dómine,* intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo:* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus:* neque permanébunt injústi ante óculis tuos.

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: *
perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinem et dolosum abominabitur
Dóminus: * ego autem in multitúdine miseri-
córdiæ tuæ.

Intróibo in domum tuam: * adorábo ad
templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter
inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam
meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor
eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis
suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitátionibus suis, secúndum
multitúdinem impietátum eórum expélle eos, *
quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in
ætérrnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt
nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ *
coronásti nos.

Réquiem ætérrnam.

Ant. Dírige, Dómine, Deus meus, in conspéc-
tu tuo viam meam.

Ant. Convértere, Dómine *, et éripe ánimam
meam: quóniam non est in morte, qui memor
sit tui.

Psalmus 6

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, *
neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine quóniam infirmus sum:
* sana me Dómine quóniam conturbáta sunt
ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu,
Dómine, úsquequo?

Convértere Dómine éripe ánimam meam:
* salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui:
* in inférno autem quis confitébitur tibi.

Laborávi in gémitu meo lavábo per síngulas
noctes lectum meum: * in lácrimis meis
stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi
inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini
iniquitatem: * quóniam exaudivit Dóminus
vocem fletus mei.

Exaudivit Dóminus deprecatióem meam, *
Dóminus oratióem meam suscepit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter
omnes inimíci mei: * convertántur et
erubéscant valde velóciter

Réquiem ætérrnam.

Ant. Convértere, Dómine *, et éripe ánimam
meam: quóniam non est in morte, qui memor
sit tui.

Ant. Nequándo rápiat* ut leo ánimam, dum
non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Psalmus 7

DOMINE, Deus meus, in te sperávi: *
salvum me fac ex ómnibus persecúentibus
me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum
non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat:

Dómine, Deus meus, si feci istud, * si est
iníquitas in mánibus meis:

Si rédidi retribuéntibus mihi mala, * décidam
mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, † et
comprehéndat, et concúlcet in terra vitam
meam, * et glóriam meam in púlverem
dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua: * et exaltáre in
fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine, Deus meus, in præcépto

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

quod mandásti: * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex justus, fortis, et pátiens,: * numquid irásctur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis: * saggítas suas ardéntibus effécit

Ecce partúriit injustítiam: * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum: * et incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Réquiem ætérnam.

Ant. Nequándo rápiat* ut leo ánimam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta inferi. *℟.* Erue, Dómine, ánimas eórum,
Pater noster *totum secreto.*

Lectio leguntur sine Absolutione, Benedictionibus et Titulo.

Lectio j Job 7. 16-21

PARCE mihi, Dómine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, ne dimíttis me, ut glútiam

salívam meam? Peccávi, quid fáciam tibi, o custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meam, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: et si mane me quæsíeris non subsístam.

Lectio terminatur sine Tu autem, vel alia conclusione.

℟. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum, Salvatórem meum.

℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius; et óculi mei conspectúri sunt. *Et.*

Lectio ij Job 10. 1-7

TÆDET ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsus me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre: índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me et ópprimas me, opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui et anni tui sicut humana sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meam scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. Qui Lázarus resuscitásti a monumento fœtidum * Tu eis, Dómine, dona réquiem, et locum indulgéntiæ. *℣.* Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. *Tu.*

Lectio iij Job 10. 8-12

MANUS tuæ fecérunt me, et plasma-vérunt me totum in circúitu: et sic repénte præcípitas me? Meménto, quæso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cásium me coagulásti? Pelle et cárnibus vetísti me: óssibus et nervis compegísti me. Vitam et

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

misericórdiam tribuísti mihi, et visitatio tua custodívit spíritum meum.

R. Dómine quando véneris judicáre terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccávi nimis in vita mea. *V.* Commissa mea pavésco, et ante te erubésco: dum véneris judicáre, noli me condemnáre. *Quia.* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. *Quia.*

Postea ad Laudes, ut infra, pag 16, quando dicitur unum tantum Nocturnam.

Si vero Laudes omnino omittantur, post III Rseponsorium dicuntur Pater noster et Preces, ut infra ad Laudes, pag. 19.

In II Nocturno

Pro Feria III et VI

Ant. In loco pásquæ * ibi me collocávit.

Psalmus 22

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit: * in loco pásquæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in medio umbræ mortis, non timébo mala: quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meos inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me* ómnibus diébus vitæ meæ:

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitudínem diérum

Réquiem ætérnam.

Ant. In loco pásquæ * ibi me collocávit.

Ant. Delícta * juventútis meæ, et ignorántias meas ne memíneris.

Psalmus 24

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confido, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes; iníqua ágéntes *super vácué.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: * et; sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua et doce me: * quia tu es, Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meae, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in iudicio:* docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, *requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus

Propter nomen tuum, Dómine, et propitiáberis peccáto meo: multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * et semen ipsius hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum:* quóniam ipse evéllit de láqueo pedes meos.

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

Réspice in me, et miserere mei: * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delicta mea.

Réspice inimicos meos quóniam multiplicati sunt, * et ódio iniquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me: * non erubescam quóniam sperávi in te.

Innocétes et recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël, * ex ómnibus tribulati-
ónibus suis.

Réquiem ætérnam.

Ant. Delicta * juventútis meae, et ignorántias meas ne memínaris.

Ant. Credo vidére bona Dómini* in terra vivéntium.

Psalmus 26

DOMINUS illuminatio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidabo?

Dum apprópíant super me nocétes, * ut edant carnes meas:

Qui tríbulant me et inimíci mei,* ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsus me castra: * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsus me prælium,* in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram,* ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diebus vitæ meæ:

Ut vídeam voluntátem Dómini,* et vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo:* in die malórum protéxit me in abscondito tabernáculi sui

In petra exaltávit me:* et nunc exaltávit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis:* cantábo et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: * miserere mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me:* ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque dispicias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me:* Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua:* et dirige me in sémitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me:* quóniam insurrexérunt in me testes iniqui, et mentíta est iniquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini* in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age:* et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Réquiem ætérnam.

Ant. Credo vidére bona Dómini* in terra vivéntium.

☩. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus.

☩. Cum princípibus pópuli sui.

Pater noster **totum secreto**

Lectio iv. Job 13. 22-28

RESPONDE mihi: quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scléra mea et delicta osténde mihi.

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

Cur faciē tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, ostēdis potētiā tuā, et stipulam siccam persēqueris. Scribis enim contra me amaritudines, et cōsumere me vis peccātis adolescētiā meā. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes sēmitas meas, et vestigia pedum meōrum considerasti: qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comēditur a tineā.

R. Memēto mei, Deus, quia ventus est vita mea, * Nec aspiciat me visus hōminis, *V.* De profundis clamavi ad te, Dōmine: Dōmine, exaudi vocem meam. *Nec.*

Lectio v. Job 14. 1-6

HOMO, natus de muliere, brevi vivens tempore, replētur multis miseriis. Qui quasi flos egrēditur et contēritur, et fugit velut umbra, et numquam in eōdem statu pēmanet. Et dignum ducis super hujuscēmodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudiciū? Quis potest facere mundum de immūdo concēptum sēmine? Nonne tu, qui solus es? Breves dies hōminis sunt, nūmerus mēnsium ejus apud te est: constituisti tēminos ejus, qui prāteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.

R. Hei mihi, Dōmine, quia peccavi nimis in vita mea: Quid faciam, miser? Ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserere me, dum veneris in novissimo die. *V.* Anima mea turbata est valde, sed tu, Dōmine, succurre ei. *Miserere.*

Lectio vi. Job 14. 13-16

QUIS mihi hoc tribuat, ut in infēno protēgas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursus vivat? Cunctis diēbus quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce, peccatis meis.

R. Ne recorderis peccata mea, Dōmine, * Dum veneris iudicare saeculum per ignem. *V.* Dirige, Dōmine, Deus meus, in conspectu tuo viam meam. *Dum.* Requiem aeternam dona eis, Dōmine: et lux perpetua luceat eis. *Dum.*

In III Nocturno

Pro Feria IV et Sabbato

Postea ad Laudes, ut infra, pag 16, quando dicitur unum tantum Nocturnum.

Si vero Laudes omnino omittantur, post ultimum Responsorium dicuntur Pater noster et Preces, ut infra ad Laudes, pag. 19

Ant. Complacet * tibi, Dōmine, ut aruas me: Dōmine, ad adjuvandum me respice.

Psalmus 39

EXPECTANS expectavi Dōminum, * et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: * et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis.

Et statuit super petram pedes meos: * et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum, * carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt: * et sperabunt in Dōmino:

Beatus vir, cujus est nomen Dōmini spes ejus: * et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Dōmine Deus meus, mirabilia tua: * et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi et locutus sum: * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem nolui: * aures autem perfecisti mihi.

Holocustum et pro peccato non postulasti: * tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me ut facerem

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

voluntatem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo: * veritatem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam et veritatem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: comprehendérunt me iniquitátes meæ, * et non pótui ut vidérem.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei: * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut áruas me: * Dómine, ad adjuvándum me respice.

Confundántur et revereántur simul, qui quæerunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusióne suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent et læténtur super te omnes quæréntes te: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendicus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Réquiem ætérrnam.

Ant. Compláceat * tibi, Dómine, ut áruas me: Dómine, ad adjuvándum me respice.

Ant. Sana, Dômine, * ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psalmus 40

BEÁTUS qui intéllegit super egénium, et

páuperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, † et beátum fáciat eum in terra: * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére mei: * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixerunt mala mihi: * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitatem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsus me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsus me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsus me: * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatióne.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me: * et retríbua eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérrnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israél, a sáculo et usque in sáculum: * fiat, fiat.

Réquiem ætérrnam.

Ant. Sana, Dômine, * ánimam meam, quia peccávi tibi.

Ant. Sitívit * ánima mea ad Deum vivum: quando véniam, et apparebo ante fáciem Dómini?

Officium Defunctorum: Ad Matutinum

Psalmus 41

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem; vivum: * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, et confessiόνis: * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam confitébor illi * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea contúrbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte mó dico.

Abýssus abýssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei ? * et quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: * Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me.

Spera in Deo, quóniam adhuc; confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus. Réquiem ætérnam.

Ant. Sitívit* ánima mea ad Deum vivum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi.

℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater Noster *totum secreto.*

Lectio vij. Job 17. 1-3; 11-15

SPIRITUS meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlchrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Libera me, Dómine, et pone me juxta te, et cuiúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, et patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Peccántem me quotidie, et non me pœniténtem, timor mortis contúrbat me: * Quia in inférno nulla est redemptio, miserére mei, Deus, et salva me. **℣.** Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua libera me. Quia.

Lectio viij. Job 19. 20-27

PELLI meæ, consúptis cárnibus, adhæsít os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos, amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tribuat ut scribántur sermónes mei? quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo et plumbi lámína vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum: et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculimeí conspectúri sunt, et non

Officium Defunctorum: Ad Laudes

álius:repósita est hæc spes mea in sinu meo.

R. Dómine secúndum actum meum noli me iudicáre: nihil dignum in conspéctu tuo egi; ideo déprecor majestátem tuam, * Ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam. **V.** Amplius lava me, Dómine, ab injustítia mea, et a delícto meo munda me. **Ut.**

Lectio ix. Job 10. 18-22

QUARE de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret! Fuíssem quasi qui non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi ? Dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum: ántequam vadam, et non revértar, ad terram tenebrósam et opértam mortis calígine: terram misériæ et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, et sempitérnus horror inhábitat.

Sequens Responsorium tunc ponitur, quando dictus fuerit tertius Nocturnus tantum pro Defunctis.

R. Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas aereas confregisti, et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te * Qui erant in pœnis tenebrarum. **V.** Clamantes et dicentes: Advenisti, Redemptor noster. **Qui.** Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. **Qui.**

Sequens Responsorium ponitur loco prae-centis, quando tres Nocturni dicti fuerint pro Defunctis.

Repetitur Libera me, Dómine, usque ad V. Tremens factus sum ego exclusive.

Deinde, si Laudes omnino omittantur, post ultimum Responsorium dicuntur Pater noster et Preces, ut infra ad Laudes, pag. 19.

Si vero Matutinum, cum unico vel tribus Nocturnis, a Laudibus separetur, post ultimum Responsorium jungitur:

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Deinde dicitur Oratio (seu dicuntur Orationes) ut supra in Vesperis, pag. 6, additis sequentibus:

V. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

R. Et lux perpétua lúceat eis.

V. Requíescat in pace.

R. Amen.

Ad Laudes

Quoties Laudes a Matutino separentur, dicitur secreto Pater noster et Ave, María; secus absolute incipitur a sequenti.

Ant. Exsultábunt Dómino* ossa humiliáta.

Psalmus 50

MISERERE mei, Deus * secúndum magnam misericordiam tuam.

Et secúndum multitudínem miseratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ad iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem mea ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: *ut justificéris in sermónibus tuis,et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: *et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti:* incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: *et spírítum rectum ínnova in viscéribus meis.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Officium Defunctorum: Ad Laudes

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: *et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projicias me a fácie tua: *et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: *et spírítu princípali confirma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salutis meæ: * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: *et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrificium, dedissem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum,et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta: *tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Réqueim ætérrnam.

Ant. Exsultábunt Dómino* ossa humiliáta.

Ant. Exáudi, Dómine, * oratióem meam : ad te omnis caro véniet.

Psalmus 64

TE decet hymnus Deus, in Sion:* et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratióem meam:*ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos:* et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti:* inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ:* sanctum esttemplum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus salutáris noster,* spes ómnium finium terræ et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accíntus poténtia:*qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur Gentes, et timébunt qui inhábitant términos a signis tuis:* éxitus matutíni et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam:* multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum:* quóniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inébria, múltiplica genímína ejus:* in stillicídiis ejus lætábitur gérrminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ:* et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti:* et exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt ariétes óvium, et valles abundábunt fruménto:* clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem ætérrnam.

Ant. Exáudi, Dómine, * oratióem meam : ad te omnis caro véniet.

Ant. Me suscepit * dextera tua, Dómine.

Psalmus 62

DEUS, Deus, meus,* ad te de luce vígilo. Sitivit in te ánima mea,* quam múltipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa: sic in sancto appáruí tibi,* ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas:* lábia mea laudábunt te.

Officium Defunctorum: Ad Laudes

Sic benedícam te in vita mea:* et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea:* et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditáoor in te:* quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhásit ánima mea post te:* me suscepit délixtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ:* tradéntur in manus gládi, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, laudabúntur omnis qui jurant in eo:* quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Réquiem ætérnam.

Ant. Me suscepit * délixtera tua, Dómine.

Ant. A porta ínferi* érué, Dómine, ánimam meam.

Canticum Ezechiaë Isai. 38. 10-20

EGO dixi: in dimídio diérum meórum:* vadam ad portas ínferi.

Quæsi vi resíduum annórum meórum.* Dixi: non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium. Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, et convolúta est a me,* quasi tabernáculum pastórum.

Præcísá est velut a texénte, vita mea: dum adhuc ordírer, succídít me:* de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane,* quasi leo sic contrívít ómnia ossa mea:

De mane usque ad vésperam fínies me: sicut pullus hirúndinis sic clamábo,* meditábor ut colúmba:

Attenúati sunt óculi mei,* suspiciéntes in excélsu:

Dómine vim pátiór, respónde pro me.* Quid dicam aut quid respondébit mihi, cum ipse fecérit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret: projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie:* pater filiis notam fáciét veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam.

Ant. A porta ínferi* érué, Dómine, ánimam meam.

Ant. Omnis spíritus* laudet Dóminum.

Psalmus 150

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus:* laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus:* laudáte eum secúndum multitudínem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ:* laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro:* laudáte eum in cordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: laudáte eum in cýmbalis jubiliatiónis:*omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem ætérnam.

Officium Defunctorum: Ad Laudes

Ant. Omnis spírítus* laudet Dóminum.

☩. Audivi vocem de caelo dicentem mihi. ☩.
Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Ad. Benedic. Ant. Ego sum resurrectio* et vita:
qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:
et omnis qui vivit et credit in me, non morietur
in aeternum.

Canticum Zachariæ Luc. 1. 68-79.

BENEDÍCTUS ✠ Dóminus Deus Israel, *
quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis
suæ.

Et eréxit cornu salútis nobis; * in domo David
púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a
sæculo sunt, prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu
ómnium qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus
nostris; * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem
nostrum; * datúrum se nobis,

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum
liberáti; *serviámus illi,

In sanctitáte, et justítia coram ipso; * ómnibus
diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis; *
præibis enim ante fáciem Dómini, paráre vias
ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus; * in
remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri; * in
quibus visitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his, qui in tenébris et in umbra
mortis sedent;* ad dirigéndos pedes nostros in
viam pacis.

Réquiem ætérnam.

Ant. Ego sum.

Deinde flexis genibus:

Pater noster **secreto usque ad**
☩. Et ne nos indúcas in tentatióem.
☩. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 129

*Qui non dicitur in die obitus seu depositionis
defuncti, nec quodcumque Officium recit-
atur sub ritu duplici.*

DE profundis clamávi ad te, Dómine:*
Dómine exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem
deprecatióis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: *
Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: *et propter legem
tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit
ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: *speret
Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et
copiósa apud eum redemptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus
iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam * dona eis, Dómine.
Et lux perpétua * lúceat eis.

**Deinde dicuntur Preces et Oratio sive
Orationes Officio congruentes, ut supra in
Vesperis, pag.6.**

**In exsequiis vero defuncti, praesente corpore,
dicuntur in fine Laudem Preces et Oratio in
Exsequiarium Ordo.**

